

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Nazareni Jesum prædicantem spernunt, quasi civem suum et fabri filium. Secundo, vers. 7, Jesu Apostolos mittit binos prædicatum, addita eis potestate curandi morbos et demones ejiciendi. Tertio, vers. 14, Herodes, auditis miraculis Jesu, suspicatur Joannem Baptistam a se occisum in Jesu resurrexisse: qua de causa cædes Joannis recensetur. Quarto, vers. 30, redeunt ad Christum Apostolus, narrantes quæ egerint. Christus mox quinque panibus satiat quinque hominum millia. Quinto, vers. 47, venit ad discipulos ambulans super mare, ac tempestatem sedat multosque contactu fimbriæ sanat.

1. Et egressus inde, abiit in patriam suam, et sequebantur eum discipuli sui; 2. et facta sabbato, cepit in synagoga docere; et multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia? et quæ est sapientia, quæ data est illi? et virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur? 3. Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph, et Judæ, et Simonis? nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo. 4. Et dicebat illis Jesus: Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, et in domo sua, et in cognatione sua. 5. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit; 6. et mirabatur propter incredulitatem eorum, et circuibat castella in circuitu docens. 7. Et vocavit duodecim, et cepit eos mittere binos, et dabat illis potestatem spirituum immundorum. 8. Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum; non peram, non panem, neque in zona as, 9. sed calcateos sandaliis, et ne induerentur duabus tunicis. 10. Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde; 11. et quicumque non receperit vos, nec auferint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. 12. Et exeuntes prædicabant ut penitentiam agerent; 13. et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabant. 14. Et audivit rex Herodes (manifestum enim factum est nomen ejus) et dicebat: Quia Joannes Baptista resurrexit a mortuis, et propterea virtutes operantur in illo. 15. Alii autem dicebant: Quia Elias est. Alii vero dicebant: Quia propheta est, quasi unus ex prophetis. 16. Quo audito, Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit. 17. Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere, propter Herodiam, uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. 18. Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. 19. Herodias autem insidiabatur illi, et volebat occidere eum, nec poterat. 20. Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum; et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat. 21. Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cenam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilææ. 22. Cumque introisset filia ipsius Herodias, et saltasset, et placuisset Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete a .ne quod vis, et dabo tibi; 23. et juravit illi: Quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. 24. Quæ cum exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis-Baptistæ. 25. Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit dicens: Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis-Baptistæ. 26. Et contristatus est rex: propter jusjurandum, et propter simul discumbentes, noluit eam contristare; 27. sed misso speculatore præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere, 28. et attulit caput ejus in disco, et dedit illud puellæ, et puella dedit matri suæ. 29. Quo audito, discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus, et posuerunt

illud in monumento. 30. Et convenientes Apostoli ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia quæ egerant, et docuerant. 31. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant et redibant multi; et nec spatium manducandi habebant. 32. Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum. 33. Et viderunt eos abeuntes, et cognoverunt multi; et pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, et prævenierunt eos. 34. Et exiens vidit turbam multam Jesus, et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, et cepit illos docere multa. 35. Et cum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, et jam hora præterit: 36. dimitte illos, ut euntes in proximas villas et vicos, emant sibi cibos, quos manducent. 37. Et respondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Eantes emamus ducentis denariis panes, et dabimus illis manducare. 38. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, et videte. Et cum cognovissent, dicunt: Quinque, et duos pisces. 39. Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fenum. 40. Et discubuerunt in partes per centenos et quinquagenos. 41. Et acceptis quinque panibus et duobus piscibus, intuens in cœlum, benedixit, et fregit panes, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos; et duos pisces divisit omnibus. 42. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. 43. Et sustulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos, et de piscibus. 44. Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum. 45. Et statim coegit discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaiam, dum ipse dimitteret populum. 46. Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare. 47. Et cum sero esset, erat navis in medio mari, et ipse solus in terra. 48. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis), et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare, et volebat præterire eos. 49. At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt. 50. Omnes enim viderunt eum, et conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis et dixit eis: Confidite, ego sum, nolite timere. 51. Et ascendit ad illos in navim, et cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant: 52. non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obtæcatum. 53. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth, et applicuerunt. 54. Cumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum; 55. et percurrentes universam regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui se male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse. 56. Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebat infirmos, et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent: et quotquot tangebant eum, salvi fiebant.

Vers. 1. 1. ET EGRESSUS INDE (ex urbe Capharnaï, ubi filiam Jairi suscitavit), ABIIT IN PATRIAM SUAM. — *Matth.* *xiii, 55.* In Nazareth, ubi Christus non natus quidem, sed educatus fuerat, et ubi ejus fratres et sorores, id est cognati et cognatæ habitabant, ut patet vers. 3. Ita Beda.

Vers. 2. 2. ADMIRABANTUR IN DOCTRINA EJUS. — Id est admirabantur doctrinam ejus tam sanctam, sublimem et divinam, tamque efficacem: utpote quam Christus per tot virtutes, id est miracula confirmabat. Est Hebraismus. Hebræi enim usurpant *βηθ* contactus, sive corporalis, sive mentalis, loco accusativi, ut dicant: Tango in manu, id est tango manum; credo in Deo, id est credo Deum; admiror in sapientia, id est admiror sapientiam.

Vers. 3. 3. ET NON POTERAT IBI VIRTUTEM (miraculum) UL-

LAM FACERE. — «Non poterat, id est non volebat, *Matth.* *xiii, 56.* quia censebat non decere ut sanctum daretur canibus, ac incredulis et ingratis civibus suis obtruderet miracula sua. Sic «non posse,» pro «non velle» sumitur *Gen. xxxvii 4.* et *Joa. vii 7.* Sic vulgo dicimus: Non possum mihi imperare, ut illi indigno hanc gratiam præstem; non possum, id est difficulter possum, quia nolo, et voluntas reluctatur. «Quia enim, ait hic Victor Antiochenus, ad impetrandam sanitatem utrumque coire debet, nimirum eorum qui cura egent, fides, et illius rursum qui curaturus est, virtus: si alterum horum defuerit, non temere sanitatis beneficium obveniet.» Ut ergo miraculum convenienter fiat duo requiruntur, scilicet potentia in parante, et fides in patiente: cum alterutrum deest, dicitur illud fieri non posse. Ita Theophylactus et Euthymius.

6. ET MIRABATUR PROPTER INCREDULITATEM EORUM. — Videtur huic dicto repugnare Lucas, iv, 22, dicens: « Et omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus. » Respondeo Nazarenos quidem miratos fuisse, quod Jesus, cum esset filius fabri sibi noti et vicini, foret tamen tam sapiens, disertus et efficacis in prædicando; sed eosdem tamen incredulos fuisse ejus doctrinæ et personæ, quod scilicet ipse esset Messias sive Christus. Id ita esse patet ex his quæ subjicit Lucas.

Vers. 13.
Apostoli
angebant
egros.

13. ET UNGEBANT OLEO MULTOS EGROS, ET SANABANT. — Opinantur nonnulli hanc unctionem esse eandem cum illa, de qua S. Jacobus in *epist.* sua, cap. v, 14, scilicet sacramentum Extreme-Unionis. Ita Beda, Theophylactus, Lyranus, Dionysius Carthusianus, Franciscus Lucas et alii, qui censent jam a Christo institutum fuisse sacramentum Extreme-Unionis, illudque hic infirmis contulisse Apostolos jussu Christi, esto necdum ab eo ordinati essent sacerdotes.

An sacri-
mentali-
ter?

Verum contrarium videtur verius: *Primo*, quia solus sacerdos est minister sacramenti Extreme-Unionis: Apostoli autem necdum erant sacerdotes, nam in ultima cæna eos Christus creavit sacerdotes, dicens: « Hoc facite in meam commemorationem. »

Secundo, quia Apostoli hic quoslibet infirmos unxerunt; ergo etiam non baptizatos, non moribundos: atqui Extreme-Unctio confertur tantum baptizatis et moribundis.

Tertio, omnes uncti hic ab Apostolis sanabantur; hoc autem non fit in Extreme-Unctione, quæ primario ad sanitatem et robur mentis dirigitur.

Quarto, quia Concilium Tridentinum, sess. 14, ait sacramentum Extreme-Unionis apud Marcum quidem insinuatam, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatam, ac promulgatam fuisse. Fuit ergo hæc unctio typus et quasi præludium instituenti sacramentum Extreme-Unionis, non ipsum Sacramentum. Erat igitur hæc unctio miraculosa, seu donum miraculorum datum Apostolis ad tempus, ut eo suam de Christo prædicationem confirmarent; non sacramentum semper duraturum: sicut S. Genovefa, et multi sancti Anachoretæ oleo a *s.* benedicto, et ad infirmos misso, eos sanabant, ut patet ex Vitæ Patrum. Causam, cur oleo potius quam vino uterentur, dat Victor Antiochenus, dicens: « Oleum inter alia et laborum molestiam mitigat, et lumen fovet, et hilaritatem conciliat. » Oleum ergo quod in sacra unctione adhibetur, et Dei misericordiam, et morbi sanationem, et cordis illuminationem denotat. Idem asserunt Theophylactus et Euthymius. Simili modo baptismus Joannis, non fuit Sacramentum, sed typus et præludium sacramenti Baptismi a Christo mox instituenti. Ita passim Interpretes.

16. QUO AUDITO, HERODES AIT: QUEM EGO DECOLLAVI JOANNEM, HIC A MORTUIS RESURREXIT — In Jesu patrante tot miracula, q. d. Anima Joannis transit in Jesum, ideoque ibi quasi resurgendo divini facta, tanta et tot stupenda in eo operatur. Lucas, cap. ix, 7, ait Herodem initio hæsitasse; postea tamen ob communem celeberrimæ tot miraculorum Jesu famam, credit Joannem in Jesu resurrexisse, ut ait Marcus hic, et Matthæus, cap. xiv. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, S. Augustinus et alii; vigeat enim tunc Pythagoræ sententia de *μετεμψύχων*, id est transanimatione, sive de animarum ex uno corpore in aliud transmigratione. Unde ipse Pythagoras de seipso ait: «

Ipse ego me memini, Trojani tempore belli
Pentioles Euphorbus eram, cui pedore quondam
Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atidis,

puta Menelai, qui fuit frater Agamemnonis regis et filius Atrei. Portentuosum plane et inauditum est, quod tradit S. Athanasius, primus Cæsariensis episcopus, creatus a S. Jacobo Apostolo, de S. Petro, primo Bracarensi episcopo, condiscipulo suo; scilicet Petrum hunc esse eundem cum Samuele, filio Uriæ. Urias enim Propheta occisus a Joakim, rege Juda, sub tempore captivitatis Babylonica, teste Jeremia, cap. xxvi, vers. 20, reliquit filium Samuelem, qui cum aliis Judæis veniens in Hispaniam, ibi mortuus et sepultus est, quem post sexcentos sepulture annos S. Jacobus, veniens in Hispaniam, et sepulcro suscitavit nominavitque Petrum, ac primum Bracarense episcopum creavit, qui deinde pro Christi fide martyrii lauream obtinuit. Ita refert B. Caledonius, Bracarense episcopus, qui obiit anno Christi 260. Vide Franciscum Bivarium commentantem in *Chronica* L. Dextri, ad annum Christi 37, num. 2, comment. 1. Quid mirum ergo si Herodes putavit Joannem recens a se occisum resurrexisse in Christo? Vide hic quam sanctus fuerit Joannes-Baptista, et quanta de sanctitate ejus fuerit opinio, utpote quem Herodes ex communi fama censuerit resurrexisse in Christo, adeoque Joannem esse Messiam sive Christum, ideoque eum jam a se occisum timuit, ne resurgens necem suam vindicaret. Unde S. Chrysostomus, cap. xiv in *Math.*: « Magnum quid, ait, est virtus: nam et defunctum Herodes timet. » Nam, ut ait ibidem Rabanus: « Omnium sententia est, majorem fore potentiam Sanctorum ubi resurrexerint. » Sic et Beda.

17. IPSE ENIM HERODES MISIT (satellites), AC TENUIT JOANNEM, ET VIXIT EUM IN CARCERE, PROPTER HERODIADAM, UXOREM PHILIPPI FRATRIS SUI, QUIA DUXERAT EAM. — Hic Herodes non fuit primus, sive magnus, patria et cognomente Escalonita, sub quo natus est Christus, qui infantes in Bethleem occidit; sed fuit ejus filius, cognomente Antipas, qui Christum veste alba indutum illu-

Vers. 17.
Math.
xix, 3;
Luc. 24,
19, 20.

sumque ad Pilatum remisit. Hic enim incarcerationi et occidit Joannem Baptistam.

Dices: Herodes Antipas fuit tetrarcha duntaxat: sic enim vocat eum Matthæus, cap. xiv, 1. Quomodo ergo Marcus hic, vers. 14, vocat eum regem? Respondeo: Vocat eum regem, quia ipse in sua tetrarchia summus erat princeps, qualis est rex in regno: unde regis nomen assumpsit, illudque ei ab aliis tributum fuit, etiam ab ipso S. Matthæo, cap. xiv, vers. 9.

Historia
S. Joan-
nis-Bap-
tiste ab
Herode
decolli-
tæ.

IN CARCERE. — Addit Josephus Joannem fuisse incarcerationum in arce Macheruntina, sita in finibus Galiliæ et Arabiæ, ibique fuisse decollatum. Carcerem ergo hunc nobilitavit S. Joannes. Jam locus, inquit Philo, lib. *De Joseph*, non tam carcer erat, quam discipline meditatorum. Seneca, in *Consolatione ad Albinam*: « Carcerem, ait, intravit Socrates, ignominiam ipsi loco detracturus: neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat. » Unde D. Cyprianus, lib. iv, epist. 4 ad *Martyres*, ex veteri editione: « O beatum, ait, carcerem, quem illustravit vestra presentia! O tenebras sole ipso lucidiores, ubi constituta sunt Dei templa! » Idem, lib. III, epist. 23 *De Martyrum vinculis*: « Ornamenta sunt ista, non vincula: nec Christianorum pedes ad infamia copulant, sed clarificant ac coronant. » Quocirca S. Ambrosius, lib. *De Joseph*, cap. v: « Non turbentur, ait, innocentes, cum falsis criminibus appetuntur: visitat Deus et in carcere suos, et ideo ibi est plus auxilii, ubi plus est periculi. Sed quid mirum si visitat Deus in carcere positos, qui seipsum in suis in carcere inclusum memoravit? In carcere, inquit, eram, et non venistis ad me, » *Math.* cap. xxv, vers. 44.

PROPTER HERODIADAM. — Herodias hæc fuit filia Aristobuli, fratris Herodis Antipæ: ipse igitur eam duxit, quæ erat sibi ex fratre neptis. Ita Josephus. Fuit ergo Herodias, soror Herodis Agrippæ, qui Jacobum occidit, et ab angelo vicissim cæsus occubuit, *Actor*, cap. xii. Quare errant Ruffinus, et ex eo S. Hieronymus, Eusebius et Beda, dicentes illam fuisse filiam Aretæ, regis Arabum: confundunt enim primam uxorem Herodis, quæ fuit filia Aretæ, cum secunda, quæ fuit Herodias. Nam Herodes filiam Aretæ repudiavit, ut duceret Herodiadem, ideoque Aretas et bellum intulit ejusque exercitum ad interfectionem delavit, teste Josepho, lib. XVIII *Antiq.*, cap. vii, qui et addit: « Apud Judæos fuit opinio, justa ultione Numinis deletum fuisse Herodis exercitum, propter Joannem-Baptistam virum sanctum ab eo occisum. »

UXOREM FRATRIS SUI. — Dices: Josephus, lib. XVIII *Antiq.*, cap. vi, vii et ix, ait eam fuisse uxorem alterius Herodis, qui fuit frater Philippi et Herodis Antipæ. Respondeo: Errat Josephus in hoc, uti et in multis aliis, nisi dicas Herodiadem primo nupsisse Herodi Antipæ. Sic pariter errat ibidem Josephus, quod dicat Joannem occisum

non ob Herodiadem, sed quia Herodes timebat ne per populi ad eum concursum seditio quæpiam oriretur.

An vivo marito Philippo Herodias nupsit Herodi, an vero eo mortuo, dissentiunt Interpretes. *Primo*, eam enim utrumque fuisse illicitum et peccatum incestus, insuper et adulterii, si Philippus adhuc vivebat. Nam, *Levit.* xviii, 16, vetatur, non frater ducat uxorem fratris, si is ex ea reliquerit prolem, uti Philippus reliquerat filiam hanc saltatriceam, quam Josephus vocat Salomen: hanc dico Herodem, vivo Philippo et invito, duxisse Herodiadem, ideoque peccasse tripliciter: *primo*, adulterio; *secundo*, incestu; *tertio*, raptu. Probatum frater enim, quia id discrete asserit Josephus, lib. XVIII *Antiq.*, cap. vii. *Secundo*, quia eam duxit sub annum 13 Tiberii Cæsaris: tunc enim prædicare cepit Joannes, ut patet *Luc.* iii, 4. Philippus autem mortuus est anno 20 Tiberii, ut affirmat Josephus, lib. XVIII, cap. vi, ubi eundem a modesta et justitia commendat. *Tertio*, quia passim Patres Herodem accusant adulterii, quod fratri vivo, sed mansueto, uxorem abstu-lerit: nimirum ejus lenitate abusus est Herodes.

Herodes
triplici-
ter peccat-
vit.

20. HERODES ENIM METUEBAT JOANNEM, SCIENS EUM VINCULUM JUSTUM ET SANCTUM. — Initio ergo sola Herodias voluit occidere Joannem, utpote sui adulterii et incestus reprehensorem, dissentiente Herode, ut significat hic Marcus et Lucas, ix. Postea tamen Herodias idem persuasit Herodi marito, idque facile, quia Herodes, teste Josepho, lib. XIX *Antiq.*, cap. vii, malignus erat fadolis, malitiosus et proclivis ad sevitiam, ac infensus Joanni crebras ejus reprehensiones. Ipse enim erat « vox clamantis in deserto, » *Isaie* xl, 3; *Math.* iii, 3. Timebat enim Herodias, ait Beda, ne Herodes ad increpationem Joannis aliquando respiceret, et nuptias resolveret, ac Herodiadem fratri Philippo ablata restitueret. »

22. CUMQUE INTROISSSET FILIA IPSIUS HERODIADIS (ex Philippo priore marito), ET SALTASSET, ET FLACUISSET HERODI. — Saltatrice olim convivii adhibita apud Judæos ad luxum, patet ex Josepho, lib. XII *Antiq.*, cap. iv. Idem de Græcis Saltatrice liquet ex Xenophonte in *Symposio*, et Luciano Dialogo *De saltatricibus*, ubi multis exemplis et analogis philosophorum sententiis docet, quod animum eliam virilem et durum emolliat, et ad libitum infectat scita ad modos musicos saltatio. Vere Ecclesiasticus, cap. ix: « Cum saltatrice, ait, ne assiduis sis, nec audias illam, ne forte peras in efficacia illius. » Vere Remigius, in cap. XIV *Math.*: « Impudica mulier, ait, impudicam filiam nutrit, non pudorem docens, sed saltationem. Nec minus reprehendendus Herodes, qui passus sit regiam aulae fieri a muliere theatrum. »

23. VOLO UT PROTINUS DES MIHI IN DISCO CAPUT JOANNIS-BAPTISTE. — Dices: ergo Joannes Baptista non est martyr, quia Herodes occidit eum non ob fidem, nec ob reprehensionem sui adulterii, sed

Vers. 21.
Math.
xiv, 6, 7.

Vers. 22.
cum vis
mollies-
si an-
mos.

Vers. 23.
Math.
xiv, 8.

ut placeret puellæ saltatrici, et promisso suo illi facto satisfaceret. Respondeo: Nego consequentiam: nam *primo*, puella hæc petiit caput Joannis ex instinctu matris Herodiadæ, quæ Joannem sui adulteri castigatorem sic e medio tollere volebat. Herodias ergo quasi causa moralis per se occidit Joannem, impellendo Herodem ut eum decollaret, itaque eum martyrem fecit. *Secundo*, Herodes illi assensit: sciens enim malignum suæ uxoris animum, illi obsecutus est et Joannem permisit. *Tertio*, Herodes ipse quoque volebat Joannem occidere, ut diserte .at. *Matthæus*, xiv, 5; sed propter metum populi, Joanni quasi viro sancto applaudentis, id facere non audebat. Denique, multi probabiliter putant hæc omnia ex collusione et ex composito esse facta, scilicet Herodem suggestisse Herodiadi, ut filiam saltatricem in cenam immitteret, illaque peteret caput Joannis: sic enim sese honestam ex promisso suo occasionez vel exsolationem occidendi Joannem habiturum, atque hæc de causa Herodes a Christo vocatur «vulpes.» *Luc.* xii, 32. Fuit ergo S. Joannes victima casitatis, quia pro ea martyr occubuit, æque a S. Paulus, S. Matthæus, S. Clemens, S. Lambertus aliique plures.

Porro, causam sublimiorem præpropere mortis S. Joannis ex parte Dei et arcano ejus consilio assignat S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 20: «Quis, inquit, præcursor Jesu? Joannes, ut vox sermonis, et ut lucerna luminis, ante quem et in virtute exiit, et ut lucerna per Herodis forem transmissus est, ut illic quoque mox venturum prædicaret.» Idem Nazianzenus, *orat.* 39, docet S. Joannem spiritu prophæico præcognovisse suum hoc martyrium. Ait enim: «Ego a te (o Christe) baptizari debeo. Adde: et pro te; exploratum enim habebat fore, ut martyrio baptizaretur. Futurum enim norat, ut, sicut post Herodem Pilatus fureret, ita eum quoque prius vita functum Christus sequeretur.»

26. ET CONTRISTATUS EST REX. — Id est contristari se finxit, inquit S. Hilarius et S. Hieronymus in cap. xiv *Matth.*, quia revera volebat Joannem occidere, ut ait *Matthæus*, Unde Glossa, in cap. xiv *Matth.*: «Talis, ait, Herodis tristitia fuit, qualis poenitentia Pharaonis.» Et Interlinearis: «Simulator tristitiam præferabat in facie, cum letaretur in mente.»

Simplicius S. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus censent Herodem vere contristatum fuisse, ut habent *Matthæus* et *Marcus*; licet enim vellet Joannem occidere, tamen de tam crudeli et sibi probrosa ejus necē doluit, quod scilicet Prophetam tantum occideret in gratiam puellæ saltantis.

PROPTER JURURANDUM. — Neci Joannis Herodes præstidit suum juramentum filie datum, quia licet sciret illud hoc casu, scilicet in petitione filie tam indigna, iniqua et sacrilega, non obligare; tamen regale esse censebat id coram pri-

moribus non retractare, juxta illud: «Verbum regis est rex.» Ita iste mundanus. Unde S. Augustinus, *serm.* 116, in novis: «Puella saltat, ait, et mater sævit, et inter delicias et lascivias convivialium temere juratur, et impij quod juratur impletur.» Nam, ut ait S. Isidorus: «In malis promissis rescindenda fides: impia promissio est, quæ scelere adimpletur.» Et S. Hieronymus: «Sub occasione pietatis impius fuit, dum juramento scelus excusat.»

27. SED MISSO SPECULATORE. — Id est carnifice, quia carnifices erant milites, et stipatores prætorum gestantes spicula. Unde dicti sunt «speculatores,» ait Calepinus. Verum noster Jacobus Grelserus, lib. I *De Cruce*, cap. xxv, et Suida et Julio Firmico, carnifices vult dici «speculatores» (Græce enim est *σπευλατορες*, quod nomen utique est Latinum, idemque quod *speculator*), Græce *τετραπτε*, eo quod eorum munus esset hostium consilia et facta speculati, custodiæ causa principes stipare instur satellitum, ac damnatos ab eis plectere. Sic et Franciscus Lucas hic, ac Lipsius in *Tacticum*, Brissonius et aliqui alii, qui asserunt Suetonium et Tacitum *speculatorem* vocare carnificem, sed nullum ex eis locum citant, nec ego ullum invenire potui, in quo vox *speculator* a Latinis vel Græcis usurperet pro carnifice, nisi hunc Marci in Græco. Hic ergo idem est *speculator* latine, qui *σπευλατορες* græce: Græci enim mutantes vocalem i in e (ut i faciunt sæpe Itali), pro *speculator* dixerunt *speculatur*, ut inceset Lexicographus.

PRÆCEPIT AFFERRI CAPUT EJUS IN DISCO. — ut epulæ crudelitate et horrendo hoc spectaculo barbarus condiret. Addit Beda: Vult omnes convivas sceleris sui esse consortes, ut in luxurioso convivio cruentæ epulæ deferrentur. Porro S. Gregorius, lib. III *Moral.*, cap. iv: «Premitt, inquit, Deus suos in infimis, quia videt quomodo remuneret in summis: quid illi passuri sunt quos Deus reprobat, si hic cruciat quos amat.»

ET DECOLLAVIT EUM IN CARCERE. — scilicet spiculator ad hoc missus ab Herode. Unde Græca et Syrus habent, *qui cum abisset, decapitavit eum.* Habet ergo S. Joannes laures multas: *primo*, doctoris; *secundo*, virginis; *tertio*, martyris; *quarto*, prophæta; *quinto*, eremite; *sexto*, apostoli; *septimo*, præcursoris, indicis et baptiste Christi. Vere S. Augustinus, *serm.* 36 *De Sanctis*: «Joannes, ait, propter justitiam perdit vitam, sed lucratus est gloriam, quia plena et perfecta libertate maluit injusta sustinere, quam justa non dicere.»

Quæres, quo tempore occisus sit S. Joannes? *Quæda* *occidit* *Joannes!* *Resp.* *Primum.* *Secundo.*

Primo, Abulensis ait id definiri non posse. Ita ipse in cap. xiv *Matth.*, vers. 4.
Secundo, Beda, et ex eo Baronius anno Christi 33, n. 8; Maldonatus, Barradius (ac favere videtur S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evangelicorum*, cap. xlv) censent Joannem occisum circa Pascha

currente anno 33 ætatis Christi. Probant ex eo quod *Matthæus*, cap. xiv, 13, ait Christum, audita morte Joannis, secessisse in desertum, ut pavit quinque millia hominum: id autem contigit circa Pascha, *Joan.* vi, 4.

Tertio, valde probabiliter noster Salsianus, in *Annal.* tom. VI, in fine, ad annum Christi 32, n. 20, censet Joannem occisum in fine anni 32 ætatis Christi, puta in decembri. Probat *primum*, quia Nicephorus, lib. I, cap. xix, in fine, ait Joannem occisum cum ageret annum ætatis 32 cum dimidio, id est cum Christus expleret annum ætatis 32. Natus est enim Joannes 24 junii, et dimidio anno six sex mensibus senior fuit Christo: hinc enim natus est 25 decembris ejusdem anni. *Secundo*, quia, licet secessio Christi in desertum, de qua *Matthæus*, cap. xiv, contigit circa Pascha, tamen mors Joannis diutius præcessit hunc secessum: secessit enim Christus, non tam ob mortem Joannis, quam quod jam increbresceret fama miraculorum suorum, ut multi putarent Joannem in eo resurrexisse, ut diserte dicit Theophylactus et Jansenius; hoc autem factum est longiuscule post mortem Joannis, ita ut decembri videatur occisus Joannes, secessio vero Christi facta sit in martio sub Pascha sequens: tempus enim intermedium deponunt sibi miracula, quæ Christus post mortem Joannis patravit, item fama eorumdem ubique sparsa, ita ut ex ea Herodes suspicatus sit Joannem in Jesu revixisse; quod ubi audivit Jesus, metuens ne Herodes se quoque interficeret, secessit in desertum.

Denique nonnulli congrue opinantur Joannem occisum 29 augusti: hoc enim die Ecclesia celebrat festum decollationis Baptistæ, quamquam illo die celebrari potius ab Ecclesia memoriam inventionis capitis S. Joannis-Baptistæ, ex Beda censet Baronius, in *Martyrologio*.

28. ET ATTULIT CAPUT EJUS IN DISCO, ET DEDIT ILLUD PUELLÆ, ET PUELLA DEDIT MATRI SUÆ. — indignitatem hujus homicidii, imo sacrilegii, multis ostendunt S. Chrysostomus, homil. 49 in *Matth.*; S. Augustinus, *serm.* 36 *De Sanctis*, et *serm.* 116, in novis; S. Ambrosius, lib. III *Virgin.*, sub initium, ubi inter alia ait: «Præmium saltatricis mors est Prophæta, etc. Hoc crudelitati ferculum debeatur, quod insatiata epulis feritas vesceretur.» Et mox: «Cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, aversantes conspectum deliciarum. Clauduntur lumina non tam mortis necessitate, quam horrore luxurie. Os aureum illud exsangue, cujus sententiam ferre non poteras, conticescit, et adhuc timetur.»

Insulasse Herodiadem præcisio capiti, atque

æcu discriminati sanctissimam illam linguam perforasse, Hieronymus in Rufinum agens tradit, sic dicens: «Ne magnopere glorieris, si feceris quod faciunt scorpiones, atque cantharides fecerunt: hæc et Fulvia in Ciceronem, et Herodias in Joannem, quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam discriminati æcu confoderunt.» Hæc S. Hieronymus in fine *Apologie contra Rufinum*.

Quocirca justa Dei ultio in omnes deservit. Nam Herodes victus fuit ab Areta, deinde in exilium cum Herodiade pulsus Lugdunum, tetrarchia et bonis omnibus spoliatus est a Caio Calligula Imperatore, idque agente et accusante enim Agrippa, fratre Herodiadis, uti narrat Josephus, lib. XVIII, cap. x. Porro, filie saltatricis caput per glaciem amputatum, in ipsa glacie saltavit. Audi Nicephorus, lib. I, cap. xx: «Eundem ei quodam brumali tempore erat, et fluxum trajiciens, qui cum glacie constrictus cogmentatusque esset, pedes cum transibat; glacie autem rupta, idque non sine Dei numine, demergitur illa statim capite tenus, et inferioribus corporis partibus lascivens, molliisque movens saltat, non in terra, sed in undis; caput vero scelestum frigore et glacie concretum, deinde etiam convulserat, et a reliquo corpore, non ferro, sed glacie crustis ressectum, in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet, spectaculoque ejus omnibus præbito, in memoriam ea que fecerat spectantibus revocat.» Audi et Lucium Dextrum in *Chron.*, anno Christi 34: «Herodes Antipas cum Herodiade pellice incesta, tota Judæa pulsus primam ad Gallias, deinde Ilerdæ in Hispania exulat, ibique infeliciter moritur. Herodias vero saltans super Sicorim flumen Ilerdæ concretum, submersa miserabiliter periit.»

29. POSUERUNT ILLUD IN MONUMENTO. — S. Hieronymus, loco jam citato, tradit corpus S. Joannis sepultum in Sebaste, quæ prius Samaria fuit dicta, ubi pariter Eliseus et Abdias Prophæta sepulti sunt. Porro, tanta miracula faciebat S. Joannes in Sebaste, ut Julianus Apostata jussit ejus corpus comburi; sed reliquias ejus clam suffurati sunt Christiani. De revelatione capitis S. Joannis vide *Historiam Ecclesiasticam*, lib. XI, cap. xxviii, Baronius et alios. Est et inter opera S. Cypriani tractatus *De Revelatione capitis S. Joannis*. Denique Sozomenus, lib. VII, cap. xxiv, narrat Theodosium Imperatorem proficiscentem in bellum contra Eugenium tyrannum, adisse templum S. Joannis, eique pro victoria supplicasse; quare demonem et templo exiisse vociferantem: «Tu me vinces, tu meum exercitum prosternes,» itaque factum est.

Herodias
Hagman
Joannis
perfora-
vit.

Ultio Dei
in Baptea
Ilerda.

Vers. 29.
Matth.
xx, 12.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Christus Phariseorum criminationes, quod Apostoli illotis manibus manducarent, in ipsos sermone scelera retorquet. Secundo, vers. 25, Syrophœnissa filiam a dæmone liberat. Tertio, vers. 32, surdus et muto auditum et loquelam restituit.

1. Et conveniunt ad eum Pharisei, et quidam de Scribis, venientes ab Jerusalem. 2. Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus, communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperaverunt. 3. Pharisei enim et omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum; 4. et a foro nisi baptizentur, non comedunt; et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, et aramentorum, et lectorum; 5. et interrogabant eum Pharisei, et Scribæ: Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem? 6. At ille respondens, dixit eis: Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. 7. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas et præcepta hominum. 8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum et calicum; et alia similia his factis multa. 9. Et dicebat illis: Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis. 10. Moyses enim dixit: Honora patrem tuum, et matrem tuam; et: Qui natus est patri, vel matri, morte moriatur. 11. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit; 12. et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo, aut matri, 13. rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis; et similia hujusmodi multa facitis. 14. Et advocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, et intelligite. 15. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem. 16. Si quis habet aures audiendi, audiat. 17. Et cum introisset in domum a turba, interrogabant eum discipuli ejus parabolam. 18. Et ait illis: Sic et vos imprudentes estis? Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare, 19. quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, et in secessum exit, purgans omnes escas? 20. Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. 21. Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, 22. furta, avaritiæ, nequitiae, dolus, impudicitiae, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. 23. Omnia hæc mala ab intus procedunt, et communicant hominem. 24. Et inde surgens abiit in fines Tyri et Sidonis; et ingressus domum neminem voluit scire, et non potuit latere. 25. Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, et procidit ad pedes ejus. 26. Erat enim mulier Gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum ut dæmonium eieceret de filia ejus. 27. Qui dixit illis: Sine prius saturari filios; non est enim bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. 28. At illa respondit, et dixit illi: Utique, Domine, nam et catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. 29. Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium a filia tua. 30. Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, et dæmonium exiisse. 31. Et iterum exiens de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos. 32. Et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut

imponat illi manum. 33. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in aurículas ejus; et expuens, tetigit linguam ejus; 34. et suscipiens in cœlum, ingemuit, et ait illi: Ephphetha, quod est adaperire. 35. Et statim aperta sunt aures ejus, et solum est vinculum lingue ejus, et loquebatur recte. 36. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, 37. et eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: et surdos fecit audire, et mutos loqui.

2. COMMUNIBUS MANIBUS, ID EST NON LOTIS, MANDUCARE — «Manus communes» vocantur non lotæ, id est immundæ; quia scilicet res immunde, profane et pollutæ erant communes Judæis et Gentilibus, mundis et immundis.

Nota Apostolos non fuisse tam rusticos, ut pransuri vel cenaturi manus non lavarent, cum et agricola et opifices ante cibum eas lavent, sed abstinentia a lotionibus religiosa, vel potius superstitione Phariseorum, quam ipsi ex majorum suorum ritu et traditione acceptam scrupulose servabant. Ritus autem eorum, inquit Theophylactus, erat hic, ut ad cubitum usque lavarentur.

3. CREBRO. — Syrus, *betith*, id est diligenter vel curiose; Græce, *σπυρ*, id est certatim. Hebr. כִּף כִּף *cap* et *cap*, id est manum ad manum, scilicet sæpe confricando, uti facimus, qui manus sedatas depurare volunt. Pharisei enim cum vel minimum quid impuri attingissent, aut se attingisse scrupulose metuerent, illico lavabant manus, idque toties quoties hic eis metus vel scrupulus occurreret.

4. ET A FORO, — scilicet venientes et domum redeuntés lavant manus, quia scilicet in foro est omne genus, uti rerum, sic et hominum multorum et immundorum, quorum contactu se pollutos verebantur, idcirco immunditiam hac lotionem non manuum, sed totius corporis abstergere sese debere putabant; unde sequitur:

NI SI BAPTIZENTUR. — Hoc est, nisi totum corpus aquis immergant et abluant, uti etiam sæpe faciunt Judæi. Plus enim est «baptizari», quam manus abluere: quia ergo in foro Gentiles attingere et alloqui, quædam etiam immunda atrocitate cogebantur, hæc redeuntés domum totos se abluant, ait Vatablus.

SALICEM. — Græce, *σάλικον*, id est poculum. URCEORUM. — Græce, *ὑρση*, id est sextarium: *ὑρση* enim est sextarius, vel cyathus; Syrus, *enophorum*, id est vasorum, quibus vina afferuntur vel effunduntur. Vatablus intelligit vasa lignea, quæ *ὑρση* dicuntur, eo quod torno poliantur, aut sculpturis ornata sint: *ὑρση* enim est frico, polio, rado, sculpo: unde *ὑρση*, id est politus, rasilis, excultus. Urceus proprie est vas, quo aqua in urnam vel ahenum infunditur, ait Paulus Jureconsultus; inde ad vasa quælibet similia transferitur.

ARAMENTORUM, — vasorum æreorum, quibus tibi vel coquebantur, vel in mensam intercebantur.

ET LECTORUM, — quibus ad mensam accubebant. Vatablus veritè, *spondarum*. Cætera expositi *Matth.* xv et seq.

15. COMMUNICANT. — Id est «coinquinant», ut legitur alii codices. Idem est vers. 18 et 20.

19. QUIA NON INTRAT IN COR EJUS (id est in animam ejus, ac proinde eam coinquinare nequit), SED IN VENTREM (scilicet stomachum) VADIT, (ubi facta secretionem purioris cibi, ad jejun et cor pergit; reliquum vero, quod impurum et foeculentum est), IN SECESSUM EXIT, PURGANS (exiit suo, id est puras relinquens) OMNES ESCAS. — Quia scilicet ipsum est cibi fæx et purgamentum: quare eo ipso quo exit, alimentum reliquum depurat et expurgat.

20. GENTILIS. — Græce, *ἑθνη*; id est Græca, ut veritè Arabius: Græcis enim dominantibus, omnes Gentiles vocabantur Græci; hinc illud *Rom.* cap. 1: «Judæo primum et Græco», id est Gentili.

STYRPHŒNISSA. — Græce, *Συρα Φαινιτσησσα*; Syrus, ex *Punicia Syria*, id est ex illa Phœnicia parte, quæ ad Syriam spectat. *Matthæus* Chanaanem vocat.

32. ET MUTUM. — Græce, *μυθων*, id est ægre loquentem, impeditæ lingue, balbutientem: nam sanatus a Christo «loquebatur recte», id est expedite, ut dicitur vers. 33. Non ergo erat omnino mutus, uti sunt ii qui a nativitate sunt surdi, qui Græce *ἄλλα* dicuntur. Sic enim duo fuissent hic Christi miracula, scilicet solutionis lingue, et inditæ scientiæ vocum. Contrarium tamen quoque est probabile.

33. ET EXPUENS, TETIGIT LINGUAM EJUS. — Congruè fecit id Christus, quasi saliva sua salifica os siccitate mutum et ligatum humectaturus et soluturus; saliva enim est in lingua, et illi se assimilavit, ait Galenus, *Aptor.* 39.

Expuit autem non in os multi, sed in auram ipsius digitum, ac digito salivam ori muti admovit, ut colligitur ex Græco: hoc enim honestas et decor exigebant. Porro Christus, aperiendo aures et linguam corporis, aperuit pariter aures et linguam mentis, ut inspirationes ipsius audiret, ac crederet ipsum esse Messiam, ab eoque peccatorum suorum veniam posceret et impetraret. Quos enim Christus corpore, hos et mente sanavit.

Tropologicè: idem quoque poscendum ac dicendum cum Psalme: «Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.»

Ps. 1, 47. Idem de auribus, ut possimus cum Isaia, cap. L, 4, jubillare: « Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem; » hoc autem fit eum ipse digito suo, id est Spiritu Sancto (hic enim est Digitus Dei, *Exod. VIII, 19*), et saliva celestis sapientiae, quae est ipsemet ex ore Altissimi prodiens, linguam mentis tangit.

34. Et SUSPICIENS IN CAELUM (quia inde verba mutis, auditus surdis, medela cunctis infirmis, ait Beda) INGENUIT, — tum condolens miseriam muli et surdi, tum cum gemitu orans et impetrans illi sanitatem a Deo. « Expendebat enim, ait Victor, in quantum calamitatem et miseriam, omnis bonae honestaeque actionis hostis diabolus, primorumque parentum incuria et lapsus ipsum deiecerit. »

EPHRETHA, QUOD EST (quod significat) ADAPERIRE. — Id est aperiantur tibi aures et os: ubi « utraque, ait Beda, unius ejusdemque mediatoris Dei et hominum natura manifeste destinata est. Suspiciens enim in caelum quasi homo, Deum precatur ingemuit; sed mox uno sermone, quasi divina potens majestate, curavit. » Omnes enim habemus oculos, sed caeci clausos et obstructos, qui Syriaca phrasi eleganter dicuntur aperti, cum tegmina illa recluduntur, ait Angelus Caninius in *Nomin. Hebr.*, cap. x. Porro Hebr. פתח *patach*, est aperire: unde in impera-

tivo passivo *niph'al* פתחו *hippateach*, et crasi *hip-patach*, pro quo Syri dicunt *Ephphetha*, idem est quod aperire, hoc est aperitur, vel esto apertus.

36. ET PRAECEPIT ILLIS NE CUI DICERENT. — Praeceptum hoc fuit non proprie dictum, quod ad culpam obligaret, sed urbanitas duntaxat, et modestie indicium, ut scilicet significaret se nolle sua miracula ostentare, et ex illis aucupari vanam hominum gloriam. Quare non peccabant, qui eo non obstante illa divulgabant. Unde sequitur: « Quanto autem eis praecipiebatur, tanto magis plus praedicabant. » Docemur hoc loco, ait Theophylactus, quod quando benefacturi sumus, ne plausus vel celebritas ex beneficiis quaeramus: cum autem beneficia acceperimus, ut benefactores, licet ipsi recusent, laudemus et praedicemus. » Ut enim illud est hominis beneficium, ita hoc grati, ait Franciscus Lucas. Et S. Augustinus, *De Consensu Evang.*: « Voluit Dominus, ait, prohibendo docere, quanto ferventius eum praedicare debeant, quibus jubet ut praedicent, quando illi qui prohibebantur tacere, non poterant. »

37. BENE OMNIA FECIT. — *Γεωρε, αγαθος*, id est helle, decore, concinne, congrue, irreprehensibiliter, *g. d.* Nil fecit Christus, quod Pharisei, vel similes homini jure culpae queant. Rursum bene Hebraice הטיב *heteb*, id est benefecit, quia surdo auditum, muto loquela reddidit. Tota enim vita Christi fuit assidua beneficentia, *Act. cap. x, vers. 38.*

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Christus septem panibus pascit quatuor hominum millia. Secundo, vers. 13, docet cavendum a fermento Phariseorum. Tertio, vers. 22, curat caecum, qui homines vidit sicut arbores ambulantes. Quarto, vers. 31, praedicit suam passionem et mortem, Petrumque illi remitentem quasi satanam rejicit. Denique, vers. 33, jubet cuique tollere suam crucem, et animam suam salvare.

1. In diebus illis iterum eum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis: 2. Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducant, 3. et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerant. 4. Et responderunt ei discipuli sui: Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? 5. Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. 6. Et praecipit turbae discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis ut apponerent, et apposuerunt turbae. 7. Et habebant pisciculos paucos: et ipsos benedixit, et jussit apponi. 8. Et manducaverunt, et saturati sunt, et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas. 9. Erant autem qui manducaverant, quasi quatuor millia: et dimisit eos. 10. Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha. 11. Et exierunt Pharisei, et ceperunt conquirere cum eo, quaerentes ab illo signum de caelo, tentantes

eum. 12. Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista signum quaerit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum. 13. Et dimittens eos, ascendit iterum navim, et abiit trans fretum. 14. Et oblitus sunt panes sumere, et nisi unum panem non habebant secum in navi. 15. Et praecipiebat eis, dicens: Videte, et cavete a fermento Phariseorum, et fermento Herodis. 16. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus. 17. Quo cognito, ait illis Jesus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum cognovistis nec intelligistis? adhuc caecum habetis cor vestrum? 18. Oculos habentes non videtis? et aures habentes non auditis? nec recordamini, 19. quando quinque panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorum tulistis? Dicunt ei: Duodecim. 20. Quando et septem panes in quatuor millia: quot sportas fragmentorum tulistis? et dicunt ei: Septem. 21. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligistis? 22. Et veniunt Bethsaidam, et adducunt ei caecum, et rogabant eum ut illum tangeret. 23. Et apprehensa manu caeci, eduxit eum extra vicum; et exprens in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret. 24. Et aspiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes. 25. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus; et coepit videre, et restitutus est ita ut clare videret omnia. 26. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam; et si in vicum introieris, nemini dixeris. 27. Et egressus est Jesus, et discipuli ejus, in castella Caesareae Philippi; et in via interrogabat discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines? 28. Qui responderunt illi, dicentes: Joannem-Baptistam, alii Eliam, alii vero quasi unum de prophetis. 29. Tunc dicit illis: Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei: Tu es Christus. 30. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. 31. Et coepit docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa, et reprobari a senioribus, et a summis sacerdotibus et Scribis, et occidi: et post tres dies resurgere. 32. Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, coepit increpare eum. 33. Qui conversus, et videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retro me, satana, quoniam non sapis quae Dei sunt, sed quae sunt hominum. 34. Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, denegat semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. 35. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdidit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam. 36. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum animae suae faciat? 37. Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? 38. Qui enim me confusus fuerit, et verba mea, in generatione ista adultera et peccatrice: et Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis. 39. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

40. DALMANUTHA. — Mattheus, cap. xv, 39, habet « Magadan, » quia scilicet haec duo loca sibi erant vicina, ut ibi dixi (1).

45. CAVEAT A FERMENTO PHARISEORUM, ET FERMENTO HERODIS. — « Fermentum » est doctrina, qua Pharisei docebant filios dicere parentibus « corban » aliaque legi Dei contraria. « Fermentum Herodis, » est doctrina Sadduceorum; cum his enim proxime fuerat Christo lis et disputatio, ut patet ex Mattheo, cap. xvi, vers. 4 et 12. Herodes

(1) Rectius, ut videtur, alii existimant Magadan et Gassar-fosse urbes in vicem proximas, utramque vero in regione Dalmanutha sitam; ita ut Dalmanutha non urbis, sed regionis, nomen sit.

enim uti et multi primores tunc erant Sadducei, teste Josepho, lib. XVIII *Antiq.*, cap. ii, qui negabant animae immortalitatem vivebantque quasi athei, uti Herodes vivebat in adulterio, Joannem occidit aliaque scelera commisit, vivens sine numinis metu. Licet enim ipse, cap. vi, 46, opinatus sit Joannem resurrexisse in Christo; tamen ista opinio non tam ipsius fuit quam vulgi, nec tam a fide quam a pavore ejus expressa fuit et extorta. Denique Joanni, utpote viro sanctissimo, resurrectionem concessit, sibi vero et sibi similibus eandem negavit, ut libere carnis voluptatibus indulgeret. Alii ex Origene et S. Hieronymo, per « fermentum » accipiunt sec-

tam Herodianorum, qui aculeantes Herodi, aiebant eum esse Messiam. Verum hæc secta fuit Herodis Ascalonite, non Antipæ, de quo hic, uti dixi *Matth.* XIII, 16.

22. ADDUCUNT EI CÆCUM, ET ROGANT EUM UT ILLUM TANGERET. — « Scientes, ait Beda, quia tactus Domini sicut leprosum mundare, ita etiam cæcos illuminare valeret. »

23. ET APPREHENSUS MANU CÆCI, EDUXIT EUM EXTRA VICUM. — Extra Bethsaidam, ut patet vers. 22, extra quam eum eduxit eadem de causa qua, cap. VII, 33, mutum surdumque curaturus, eum a turba semovit; scilicet primo, orationis causa, ut scilicet solus animum colligens, totum se Deo uniret, et intensius attentiusque oraret; secundo, ut fugeret vanam gloriam et plausum hominum, eumque nos vitare doceret; tertio, quia cives Bethsaidæ indigni erant hoc Christi miraculo: visis enim tot ejus signis, in eum credere noluerant. Ita Theophylactus et Euthymius. Vide *Matth.* XI, 21.

Mystice: Scholiastes apud S. Hieronymum: « Educit Christus peccatorem extra vicum, id est, equit, extra societatem malorum. Corruptum enim bonos mores colloquia prava. » Et EXPRESIT IN OCVLOS EJUS. — Saliva matutina oculos lippentes purgat, ac cæcos non illuminat. Christi ergo saliva medicina fuit cæco non naturalis, sed supernaturalis, quia erat instrumentum deitatis Christi.

Hoc Christi cæcum illuminandi miraculum imitatus est S. Hieronimus, teste S. Hieronymo in ejus Vita, quem audi: « Cæca mulier adducta est ad B. Hieronimum, quæ omnem se substantiam expendisse ait in medicos. Cui respondit: Si quæ in medicis perdidisti, dedisses pauperibus, curasset te verus medicus Jesus. Clamante autem illa, et misericordiam deprecante, expulit in oculos ejus; statimque Salvatoris exemplum virtus eadem prosecuta est. »

Tropologie: « Saliva est gratia Spiritus Sancti, » ait Beda: « hæc homines illuminat, ut videant voluntatem Domini per flatum Spiritus Sancti, » ait Scholiastes apud S. Hieronymum.

IMPOSITIS MANIBUS SUIS. — Id est, cum imposuisset manus suas super oculos cæci, ac deinde illas ab oculis removisset. Nam improbable est quod ait Scholiastes apud S. Chrysostomum, hunc cæcum per manus Christi oculis suis superpositas, vidisse homines, vers. 24, hoc enim novum et impertinentis fuisse miraculum.

Tropologie: Scholiastes apud Chrysostomum: « Christus, ait, expulit et manus imponit, volens ostendere divinum verbum operationi adjunctum mirabiliter perficere. »

24. ET ASPICIENS, AIT: VIDEO HOMINES VELUT ARBORES AMBULANTES. — g. d. Video aliquid obscure et confuse, non clare et distincte: video enim homines ambulantes, ita ut non possim distinguere an homines sint, an arbores: uti nobis

solet fieri eminus homines cernentibus, dum non facile distinguere possumus, an homines sint an arbores (ait Beda), nisi ex motu, eo quod homines ambulant, arbores non: « ambulantes » enim ad homines referendum est, non ad arbores, ut patet ex Græco. Possent tamen in latino textu ad arbores quoque referri, hoc sensu, q. d. Video homines quasi arbores bifidas, et quasi bipedes, ideoque ambulantes. Videbat ergo hic cæcus adhuc cæcitate homines quasi per caliginem et nebulam, in qua species densata representabant homines majores, quam in se erant, scilicet crassos et altos instar arborum, uti per conspiciam litteræ majores apparent, quam revera sint.

Porro, homo similis est arbori, primo, proceritate et altitudine; secundo, rectitudine; tertio, rotunditate; quarto, cortice et coma: quod enim in arbore est cortex et folia, hoc in homine est pellis et pili crinesque; quinto, ramis: homo enim expansis brachiis est quasi arbor expansis ramis; sexto, vita et venis: sicut enim homo vivit altitque cibo, chylo et sanguine per venas in totum corpus distribuitis, sic arbor vivit altitque succo per fibras in omnes partes dispartito; septimo, arbor et parva fructe sensim crescit in altum, sic et homo « crescit occulto velut arbor ævo; » adeoque sicut homini sua est pueritia, adolescentia, virilis ætas, senium et mors, sic est et arbori; octavo, arbor bona producta bonos fructus, mala malos: sic homo bonus bona opera profert, malus mala: quare sicut ex fructibus cognoscitur arbor, sic ex operibus homo, uti docet Christus, *Matth.* VII, 17. Denique arboribus, sicut animalibus, sua est cutis, sanguis, caro, nervi, venæ, ossa, medullæ, ait Plinius, lib. XVI, cap. XXXVII. Unde et ex arboribus nasci animalia, ac presertim anates, in insulis Scotiæ vicinis, experientia constat.

Porro, arbores videntur ambulare in insulis et silvis, quæ in flumine vel mari moventur et fluitant, quales videre est Audomaropoli in Belgio. Idem fit cum ventis agitantur. Jam Aquilone gaudent arbores, illoque firmantur et optime germinant; Austro vero blandiente fatiscent, ait Plinius, lib. XVII, cap. II. Sic homines per adversa in virtute roborantur et proficiunt, per prospera solvantur et deficiunt.

Addit Plinius, lib. XIII, cap. IV, arboribus, presertim palmis, sexum inesse sicut hominibus, ut alie sint mares, alie femine: « Mas, ait, in palmitate floret, femina citra florem germinat tantum spinæ modo. » Idem, lib. XVII, cap. XXV, asserit arbores sicut homines laborare fame, cruditate, peste cæterisque morbis egrotare Idem, lib. XVII, XXV, docet arbores subinde instar hominum esse locutas: sed hoc vel fictitium est, vel per angelos aut demones factum. Idem, lib. XXIII, cap. I, docet primum hominis cibum, eumque paratum et illaboratum fuisse ex arboribus, et

sic inductos homines cælum spectare; quare arbores sic inducit loquentem: « Plurimum homini voluptatis ex me est: ego succum vini, liquoris olei gigno, ego palmas et poma totque varietates, neque ut tellus per labores aranda tauris, etc., at ex me parata omnia, et sese porrigentia ultro, et si pigeat attingere, etiam cadentia. » Merito ergo cæcus hic videre incipiens, dixit: « Video homines sicut arbores ambulantes. »

Simili modo S. Gregorius Thaumaturgus fugiens persecutionem Decii, secessit cum Diacono in collem, eumque proditor quidam id persecutoribus renuntiasset, illicque totum collem persequerentur, ut Gregorium comprehenderent; ipse magna in Deum fide, immotis oculis et passis manibus in oratione constitit: quare Deus persecutores aorasia sive cæcitate percussit. Reduentes enim dixerunt, se in colle nil nisi duas arbores paululum inter se distantes vidisse: quibus digressis proditor in collem conscendens, non duas arbores, sed duos homines, puta Gregorium cum Diacono conspexit. Unde vi divina id factum agnoscentis, ut illi persequentibus arbores esse viderentur, procumbit ei ad pedes, et ex proditore fit fidelis confessor. Ita S. Gregorius Nyssenus in ejus Vita.

Denique tritum est illud Philosophi: « Quid est homo? est arbor inversa, » quia pedes quasi ramos deorsum, caput vero et cerebrum quasi radicem sursum mittit, eo quod homo ex cælo celestem vitam ducere ac celestes virtutum fructus proferre debeat.

Mystice: Scholiastes apud S. Hieronymum: Cæcus, ait, id est peccator penitens, videt homines sicut arbores ambulantes, quia omnes existimat superiores sibi, indignum se iudicans ut David, vocari hominem, æstimans se eanem mortuum et pulicem unum, II *Reg.* XVI. Hinc talis per humilitatem suam meretur illuminari et exaltari.

25. DEINDE ITERUM IMPOSUIT MANUS SUPER OCVLOS EJUS; ET COEPIIT VIDERE, ET RESTITUTUS EST ITA UT CLARE VIDERET OMNIA. — Voluit Christus non subito, sed sensim hunc cæcum perfecte illuminare: primo, ut omnis generis miracula ederet; secundo, ut plurim miraculum hoc fieret; tertio, et maxime, ut imperfecte cæci eumque offerentium fidei, sensim cum miraculo crescenti sese attemperaret, ejusque perfidiam fidem, spem et desiderium in eis magis accenderet. « Primo, cæcum hunc imperfecte curavit, inquit Euthymius, utpote imperfecte credentem, ut qui parum adhuc respiciebat, pro medicum aspectum crederet perfectius, ac sanaretur perfectius: sapiens enim erat medicus. » Et mox: « Augmentum fidei augmentum promeruit sanitatis. » Et Victor: « Ipsum visum

incrementum, inquit, et accessio, fidelis incrementum et accessionem confirmat. »

Tropologie: voluit Christus nos docere sensim infidelem et peccatorem a Deo illuminari, ac proinde eum sensim in Dei cognitione et cultu proficere debere. « Ut magnitudinem, ait Beda, humane cæcitas ostenderet, quæ quasi pedetentim, et per quasdam profectuum gradus ad lucem divinæ visionis (cognitionis) solet pervenire. » Nam, ut ait Scholiastes apud S. Chrysostomum: « Scientiæ profectus sunt, nec potest aliquis una hora perfectam sapere sapientiam; non nisi multo tempore ad perfectam scientiam potest quis pervenire. » Experimur hoc in pueris et scholasticis, qui pedetentim erudiendi ac edocendi sunt; alioqui si magister moræ et laboris impatiens omnia eis simul tradere velit, mentem et memoriam eorum obruet, ut nihil capiant; sicut vinum cum in vas angustius infunditur, sit totum simul effundatur, nil fere infunditur, sed totum quasi effunditur. Notum est illud Halorum: *Piano piano si va lontano*. Et illud Philosophi: « Successive fit motus. »

Symbolice: Scholiastes apud S. Hieronymum: « Manus, ait, Christus imposuit super oculos ejus, ut videret clare omnia, id est per opera visibilia invisibilia intelligeret, et que oculus non vidit; et clare animæ suæ statum post rubiginem peccati, mundi cordis oculo contueretur: Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. »

26. ET SI IN VICUM, — id est in Bethsaidam civitatem, quæ parva erat instar vicul pagi, ex qua, vers. 23, eum eduxerat; nisi malis per « vicum » accipere suburbium, vel vicum Bethsaidæ annexum, vel adjacentem.

34. DENEGET, — id est « Abneget semetipsum, » ut vertit Interpres *Matth.* XVI, 24.

38. QUI ENIM ME CONFUSUS FUERIT. — Græce, *ἡμωσύνωσιν*, id est erubuerit, scilicet me meamque doctrinam, vitam et professionem pauperitatis, humilitatis et crucis.

IN GENERATIONE ISTA ADULTERA — Judæorum pravorum, qui sunt fideles et filii Dei, at non genuini, sed spurii et adulterini, quia a fide patrum et Patriarcharum suorum degenerant, dum me Messiam eis promissum recipere nolunt: ideoque non tam Dei quam diaboli sint filii. Hebr. vocantur בני נחש *benæ nechar*, id est filii alieni, scilicet patris, hoc est ab alieno et adultero geniti, ideoque a vero Patre, scilicet a Deo, degeneres, illicque moribus dissimiles. Vide dicta *Matth.* X, 33.

39. REGNUM DEI, — id est gloriam regni Dei, in *Vers.* 30. mea transfiguratione mox futura.

VENIENS, (id est apparens seseque ostendens Petro, Jacobo et Joanni) IN VIRTUTE. — id est cum magna potentia, efficacia, claritate, splendore et maiestate.

Vers. 34. *Matth.* XVI, 24. *Luc.* IX, 23. *Vers.* 38. *Matth.* XVI, 27. *Luc.* IX, 26.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Christus transfiguratur coram Eliâ et Mose, unde Eliam reditum prædicat, ut adventum suum ad iudicium præcurrat. Secundo, vers. 16, energumenum surdum et mutum sanat. Tertio, vers. 32, contentionem discipulorum de primatu, studio humilitatis, ut famus sicut pueri, curat. Quarto, vers. 37, vetat prohiberi eum, qui in nomine suo ejiciebat demonia, licet ejus non foret associus. Quinto, vers. 41, docet quod grande malum sit scandala: quod, vers. 43, igne mortificationis et sale discretionis tollendum docet.

1. Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem; et ducit illos in montem excelsum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis. 2. Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. 3. Et apparuit illis Elias cum Moysæ, et erant loquentes cum Jesu. 4. Et respondens Petrus, ait Jesu: Rabbi, bonum est nos hic esse; et faciamus tria tabernacula, tibi unum, et Moysi unum, et Eliæ unum. 5. Non enim sciebat quid diceret: erant enim timore exterriti. 6. Et facta est nubes obumbrans eos, et venit vox de nube, dicens: Hic est Filius meus charissimus: audite illum. 7. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum. 8. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent narrarent, nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexit. 9. Et verbum continuerunt apud se, conquientes quid esset: Cum a mortuis resurrexerit. 10. Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Pharisei et Scribæ, quia Eliam oportet venire primum? 11. Qui respondens, ait illis: Elias cum venerit primo, restituet omnia: et quo modo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur. 12. Sed dico vobis quia et Elias venit (et fecerunt illi quæcumque voluerunt) sicut scriptum est de eo. 13. Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, et Scribas conquientes eum illis. 14. Et confestim omnis populus videns Jesum stupefactus est, et expaverunt, et recurrentes salutabant eum. 15. Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis? 16. Et respondens unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum; 17. qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit; et dixi discipulis tuis ut ejicerent illum, et non potuerunt. 18. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula! quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? Afferte illum ad me. 19. Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum; et elisus in terram, volutabatur spumans. 20. Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? Ad ille ait: Ab infantia; 21. et frequenter eum in ignem et in aquas misit, ut eum perderet; sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri. 22. Jesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. 23. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat: Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam. 24. Et cum videret Jesus concurrentem turbam comminatus est spiritum immundo, dicens illi: Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum. 25. Et exclamans et multum discernens eum, exiit ab eo, et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus est. 26. Jesus autem, tenens manum ejus, elevavit eum, et surrexit. 27. Et cum introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum? 28. Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio. 29. Et inde profecti prætergredebantur Galileam:

nec volebat quemquam scire. 30. Docebat autem discipulos suos, et dicebat illis: Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertia die resurget. 31. At illi ignorabant verbum, et timebant interrogare eum. 32. Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi essent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis? 33. At illi tacebant: siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset. 34. Et residens vocavit duodecim, et ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister. 35. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum; quem cum complexus esset, ait illis: 36. Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit; et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me. 37. Respondit illi Joannes, dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem demonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum. 38. Jesus autem ait: Nolite prohibere eum; nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me. 39. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. 40. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. 41. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me: bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur. 42. Et si scandalizaverit te manus tua, abscede illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem. 43. ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. 44. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis. 45. ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. 46. Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, 47. ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. 48. Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur. 49. Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal; et pacem habete inter vos.

VER. 11. **MATH.**
XII, 11. 11. ET CONTEMNATUR. — Græce, ἐκδοσθησὶ, id est exinanietur, nihil fiat; subaudi, simili modo continget Eliæ, ut cum magnis laboribus fidem collapsam restaurarit, pro tantis meritis et beneficiis ab ingratis et impiis maledicta et maleficia recipiat, ac tandem ab eis occidatur, *Apocal. XI, 7* et s.

VER. 13. 13. SCRIBAS CONQUIENTES (Græce, συζευκόντες, id est disputantes, altercantes) CUM ILLIS, — scilicet discipulis Jesu, an videlicet ipse esset Propheta et Messias, veraque ejus dogmata.

VER. 14. ET CONFESTIM OMNIS POPULUS VIDENS JESUM, STUPEFACTUS EST, ET EXPAYERUNT, — quod scilicet videret Jesum absentem tam inopinato et opportune adesse, ut discipulos suos contra Scribas tueret et defenderet. Rursus quod viderent in vultu Jesu paulo ante transfigurato, reliquos adhuc aliquos splendoris radios, sicut Moysi post Dei colloquium in vultu adhererunt radii, et quasi cornua lucis, *Exod. XXXIV, 29*; unde sequitur: « Et accurrentes salutabant eum. » Ita Franciscus Lucas.

VER. 15. 15. QUID INTER VOS CONQUIRITIS. — Græce, συζευκόντες, id est disputatis, altercamini.

VER. 19. **LUC. IX.**
46. 19. CONTURBAVIT (Græce, ἐκτάραξεν, id est collisit, laceravit), DISCEPISIT ILLUM (id est totum ejus corpus convulsit et distorsit: unde explicans

subdit): ET ELISUS IN TERRAM, VOLUTABATUR SPUMANS. — Quia scilicet demon hic sentiebat vim Christi, ac mox ab eo se ejicientem presentiebat, hinc indignans et frendens energumenum gravissime affligebat et contorquebat.

29. PRÆTERGREDEBANTUR GALILEAM, NEC VOLEBAT QUEMQUAM SCIRE. — Ne scilicet a Galileis eum ejusque beneficia amantibus delineretur, quia festinabat Hierosolymam ad crucem et mortem, de qua etiam secreto loquebatur cum discipulis, ut Patris voluntati satisfaceret, ac genus humanum sua morte redimeret. Ita Maldonatus, Franciscus Lucas et alii.

31. AT ILLI IGNORABANT VERBUM. — Quomodo scilicet, et qua de causa Christus esset mortuus, ac quomodo hæc ejus de morte sibi instante verba consentirent cum iis quibus sæpe eis dixerat regnum suum appropinquare: « Jam aliqui Apostolos intellexisse et credidisse Christum mortuum, patet *Math. XVII, 23*, ubi dicuntur ex hoc Christi de morte sua verbo et oraculo fuisse contristati. Nisi malis eos dici mortem Christi ignorasse, quia de ea hæsitabant et fluctabant, ob diversa Christi dicta in speciem contraria, ac proinde eos inclinasse potius in partem mitiorem sibi que gratiorem, scilicet, Christum non mori-

VER. 31.
LUC. IX.
46.

turum : hoc enim ipsi optabant et verum esse cupiebant, quia « amantes sibi somnia fingunt ; » persuadere ergo sibi conabantur verba Christi de morte sua alium habere sensum occultum, esseque mystice accipienda, non ad litteram, uti sonabant.

37. RESPONDIT ILLI IOANNES, DICENS : MAGISTER, VIDIMUS QUEDAM IN NOMINE TEO EFFICIENTEM DEMONIA, QUI NON SEQUITUR NOS, ET PROHIBUIMUS EUM. — *q. d.* Fecimusne bene an male? Querit hoc Ioannes, non ex invidia, ut vult Calvinus, sed ex amore et studio honoris Christi; idque occasione ejus quod vers. 36 dixerat Christus: « Quisquis unum, etc., receperit in nomine meo; » *q. d.* Si te et patrem suscipit, qui parvulum in nomine tuo suscipit, quid ergo sentidimus de eo qui in nomine tuo virtutes, id est miracula, facit, et tamen non sequitur nos, hoc est, non est tui assecta et discipulus, uti nos sumus? « Quia tradiderat, inquit Cyrillus in *Catena, Luc. ix, vers. 49*, Salvator potestatem Apostolis, ut spiritus immundos eiecissent, putaverunt nulli alteri quam sibi solis licere concessam gerere dignitatem. » Sic et Theophylactus, Victor et Titus in cap. ix *Lucæ*.

Ubi nota primo, hosce qui demonia hic eieci-
bant in nomine Christi, nec tamen eum sequeban-
tur, fuisse fideles, sed imperfectos, utpote abhor-
rentes ab aspera paupertate et rerum suarum abdi-
catione (quam fecerant Apostoli), ac sequela Christi
ad Evangelicos labores, persecutiones et cruce-
habuisse tamen aliquam fidem in Christum, cu-
jus virtute pellebant demones. Ita S. Ambrosius,
in cap. ix *Lucæ*, vers. 49; idque agente et coope-
rante eis Christo, ut eo major ostenderetur virtus
et gloria Christi, quæ per tam imperfectos et
quasi alienos tanta operabatur. Ita Theophy-
lactus.

Nota secundo, Apostoli prohibuerunt ipsos non
ex odio, sed ex zelo Christi, quasi qui glorie
Christi ejusque institutioni, cap. iii, 15 (ubi Chris-
tus solis Apostolis dat potestatem pellendi dæ-
mones), officerent, sed zelus hic fuit indiscretus,
præsertim quia temere inconsulto Christo ipsos
prohibuerant; idque eis ostendit Christus dupli-
citer ratione. Prior est, quam affert vers. seq.
Simili modo Josue videns Eldad et Medad pro-
phetantes, voluit eos prohibere, quasi glorie
Mosis offerrent, eo quod a Mose spiritum pro-
phetie non accepissent; sed restitit ei Moses
dicens: « Quid amularis pro me? quis tribuat ut
omnis populus prophete, et det eis Dominus spi-
ritum suum? » *Numer. xi, 29*. Hic est Spiritus
Christi, spiritus charitatis et Spiritus Sancti, qui
cor dilatat et nulli invidet, sed bonis omnibus,
per quoscumque et quomodoocumque fiant, con-
gaudet, *1 Cor. xiii*.

38. JESUS AUTEM AIT : NOLITE PROHIBERE EUM; NEMO EST ENIM QUI FACIAT VIRTUTEM IN NOMINE MEO, ET POSSIT CITO (Græce τὰχι, id est ἄρδιστος, id

est facile) MALE LOQUI DE ME. — *q. d.* Nolite eum
ab opere bono mihi que honorifico impedire,
quia etiamsi ipse me non sequatur, tamen idem
agit quod vos, scilicet celebrare nomen meum;
illudque per ejectionem demonum hominibus
predicare; quare ipsi nomini meo non officit,
sed potius illud propagat et illustrat

39. QUI ENIM NON EST ADVERSUS VOS, PRO VOBIS
EST. — *q. d.* Hic adeo vobis non adversatur, ut
idem agat quod vos: pro vobis ergo stat vosque
adjuvat; non oppugnat. Vide dicta *Matth. xii, 30*.

40. QUISQUIS ENIM POTUM DEBERIT VOBIS CALICEM
AQUE IN NOMINE MEO, QUIA CHRISTI ESTIS (disci-
puli, assæcte et Apostoli) : AMEN DICO VOBIS, NON
PERDET MERCEDEM SUAM. — Est hæc posterior
Christi ratio, probans eum non esse prohibendum
ab expulsiõe demonum, *q. d.* Si is qui vobis
dat potum aque meo nomine et respectu, bene
facit, et mercedem a Deo recipiet: ergo etiam is
qui in nomine meo demones pellit. Tam enim
hic quam ille mei intuitu et respectu bonum opus
operatur, et in proximos beneficus est; sed hic
tanto magis, quanto nocentior est demon quæ
pellit, quam sitis, quæ potu aque levatur ab illo.
Ita Theophylactus, Jansenius et alii.

41. ET QUISQUIS SCANDALIZAVIT UNUM EX HIS
PUSILLIS CREDENTIBUS IN ME : BONUM EST EI MAGIS
SI CIRCUMDARETUR MOLA ASINARIA COLLO EJUS, ET
IN MARE MITTERETUR. — Est antithesis opposita
versu 36; eo enim redit Christus post quæstio-
nem a Joanne interpositam de eo qui in nomine
Christi demones eieciat, quia ipse sermonem
Christi abruperat, ubi ait Christus : « Quisquis
unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine
meo, me recipit, » etc., *q. d.* Sicut qui parvulus
in me credentes recipit, fovet et promovet, me
recipit, ideoque a me gloria eterna in celo præ-
miabitur; sic ex adverso quisquis unum scan-
dalizaverit ex hisce parvulis, me offendit, ideo-
que a me ad gehennam damnabitur: quare præ-
staret eum in mare mergi quam parvulum scan-
dalizari, quia prestat mari quam gehenna sorberi.

42. ET SI SCANDALIZAVIT TE MANUS TUA, AB-
SCIDE ILLAM. — *q. d.* Scandalum adeo est perni-
ciosum, ut non tantum agenti nocent, sed et
patienti; quare si a manu tua scandalum patieris,
abscide eam, *q. d.* Si aliquis tibi cognatus vel
amicus, qui tibi utilis vel charus est, sicut manus,
pes, vel oculus tuus, te scandalizat et ad pecca-
tum pertrahit, abscinde eum a te tuoque con-
sortio, ne te secum pertrahat in gehennam. Vide
dicta *Matth. xviii, 6* et seq.

43. UBI VERBIS EORUM NON MORITUR, ET IGNIS
NON EXTINGUITUR. — Cital Isaie cap. lvi, vers. 24,
ubi hæc verba explicuit. Damna enim in gehenna
cruciantur horrendis verbibus et ignibus per-
petuis. Quocirca tertio Christus hanc sententiam
repetit, ut terribiles hosce vermes et ignes nobis
incolat, ut eorum horrore scandalum et pecca-
tum omne fugiamus.

43. OMNIS ENIM IGNE SALIETUR, ET OMNIS VICTIMA
SALE SALIETUR. — Primo, Maldonatus et Fran-
ciscus Lucas ignem gehennæ accipiunt, ut Chris-
tus det causam ejus quod proxime dixit : « Ubi
vermis eorum non moritur, et ignis non exstin-
guitur. » Causa est, « omnis enim, » scilicet talis
qui gehennæ adjudicandus est, « igne » ejusdem
« salietur, » id est igne uretur et cruciabitur; sed
ita ut eodem igne quasi sale, servetur incorruptus
ad perpetua tormenta: ignis enim erit ei tan-
quam sal, velut si sale perficitur sit, ut incor-
ruptus perpetim in ignis cruciatibus perduret;
sal enim et urendi et conservandi vim habet:
urit et cruciat adustione, acredine sua servat a
corruptione. Idem facit ignis gehennæ, quare ap-
posite comparatur sali.

ET OMNIS VICTIMA SALE SALIETUR. — « Et, » id est
sicut, *q. d.* Sicut omnis victima Dei solet sale
saliri, ex lego, *Levit. ii, 13*, sic quilibet gehennæ
adjudicandus, erit quasi victima justitiæ et vin-
dictæ Dei in perpetuum, ideoque igne inexstinguibili
velut sale salietur, id est uretur et cruciabitur
ac simul incorruptus in igne perdurabit. Sic
impio in tormentis esse victimas vindictæ Dei,
docet Isaïas, cap. xxxiv, 6; Ezechiel, cap. xxxix,
vers. 17 et 19; Jeremias, cap. xlii, 40; impii
enim mactantur quasi hostiæ ad Dei justitiam
honorandam et celebrandam. Hic sensus valde
planus, connexus et appositus est.

Secundo, alii hæc referunt remotius ad ea quæ
Christus, vers. 42 et seq., dixit de cavendo scan-
dalo, ac propter illud abscindenda manu, pede
et oculo, *q. d.* Ideo abscinde abs te hominem tibi
charum et necessarium instar manus, pedis et
oculi, si te scandalizat, quia omnis qui cupit
placere Deo, illique se offerre, ac fieri victima
spiritualis, necesse est ut igne mortificationis,
qua a se hominem charum, sed scandalosum
abscindat, et tribulationis ideoque subeunda
« salietur, » id est crucietur et purgetur, atque ut
quasi Dei victima mystico sale prudentiæ, discre-
tionis et sapientiæ Evangelicæ (quæ docet satius
esse abscindere a se manum quam ire in gehennam)
« salietur, » id est condiantur. Alludit, imo
citatur in sensu mystico *Levit. ii, 13*: « Quidquid
obtuleris sacrificii, sale condies. » Vide ibi dicta.
Ita Theophylactus hic, ac Theodoretus, Procopius,
Beda, Radulphus, Rupertus, in cap. ii *Levit.*, ac
Cyrillus, lib. xv *De Adoratione*. Unde sequitur
« Bonum est sal. » Audi Glossam: Igne saliri est
ob Christi amore proximos nobis et dilectos
instar manus vel oculi, abnegare. Audi et Bedam:
Alliare est electorum cor; hostiæ, bona opera;
sal, sapientia. Opponit Christus ignem mortifica-
tionis igni gehennæ, sal vero vermi non morienti,
q. d. Utevadatis ignem et vermem gehennæ quem
generat concupiscentia, studete igni mortifica-
tionis et salis sapientiæ: hic enim tollet omnem
putredinem concupiscentiæ, ex qua vermes nas-
cuntur perennes, igne gehennæ urendi.

Tertio, Beda per « ignem » accipit charitatem,
vel Spiritum Sanctum, ejusque gratiam et donum
discretionis, qua nos ad omne bonum dirigit.
« Sal, inquit, vermis putredinem arecet; quod vero
igne salitur, id est ignibus sale aspersis reco-
nditur, non solum vermes abijcit, sed et carnem
consumit. Condiantur ergo corpus continentia,
et mens sapientia; sal enim est sapientia, ignis
Spiritus Sancti gratia. »

Quarto, denique Schollastes apud S. Hierony-
mum per salern accipit quoque ignem purgato-
rium. Audi eum: « Victima Domini est genus
humanum, quod hic ratione sapientiæ salitur,
dum corruptio sanguinis custodia putredinis, id
est mater vermium consumitur, et illic purga-
torio igne examinatur. »

BONUM EST SAL. — *q. d.* Utile est sal, id est
utilis orbi estis vos, o Apostoli a me electi; ut
sitis sal terre, *Matth. v, 13*, ut vestra sapientia et
doctrina Evangelica quasi sale condialis omnes
gentes. Audi Schollasten apud S. Hieronymum:
« Bonum est verbum Dei audire, sale sapientiæ
cor condire, imo cum Apostolis sal esse, id est
alios sapientiam ministrare. » Et Theophylactus:
« Conservat sal carnes, sic sermo doctoris non
sinit in hominibus carnalibus inexstinguibilem
ignem generari. »

QUOD SI SAL INSULSUM (Græce est elegans paro-
nomasia δαλ, ἄνευ, id est insalsum, vel sal sine
sale) FUERIT, IN QUO (quo alio sale) ILLUD CON-
DIETIS? — *q. d.* Si vos, o Apostoli, qui estis sal
terre, vim hæc salis perditis, ac fiatis insalsi et
insipientes, ut ob amorem vel timorem hominum,
ob cupiditatem vel ambitionem, a doctrina mea
vitaque Evangelicæ desiccati, quis vos pristina
sapientiæ, vigori et sanctitati restituet? Ludit
Christus in voce sal: nam sal, *Levit. ii, 13*, propria
accipitur, hic vero mystico pro sapientiæ, et me-
tonymice pro Apostolis, qui in se habebant mys-
ticum hoc sal. Audi Schollasten apud S. Hiero-
nymum: « Sal insulsum est, qui amat princi-
patum et qui increpare non audeet nec confiteri,
diligens gloriam hominis magis quam Dei. » Et
Theophylactus: « Sal insulsum est, si virtutem
desiccavit et conservativam non habet. »
Notat Christus Judam, qui phylargyria corruptus,
factusque insulsum, et apostolatium perdidit, et
Dominum tradere non dubitavit, ait Glossa.

HABETE ERGO IN VOBIS SAL (sapientiæ scilicet et
vitæ Christianæ), v. g. humilitatem, charitatem,
mundi contemptum, ac præsertim pacem, ut sub-
dit Christus, dicens), ET PACEM HABETE INTER VOS.
— Ne ambiose de primatu inter vos contenda-
tis, uti contendistis vers. 35, eo enim respicit
Christus: hæc enim contentio futura est scan-
dalosa toti mundo, eaque de causa de scan-
dalo vitando sermonem subjunxit Christus,
vers. 36 et 41. Si vero pacem et mutam con-
cordiam servetis, edificationi eritis toti mundo,
ac juncti invicem charitatis vinculo eritis insu-

perabiles, omnesque ad vos et ad Christum trahetis. Unde Interlinearis per «pacem» accipit dilectionem. Magnes enim amoris est amor. Hinc Scholiastæ apud S. Hieronymum sic exponit: «Habete in vobis sal,» *q. d.* Sal correctionis amor proximi temperet, et dilectionem sal justitiæ conservet.

ET PACEM HABETE INTER VOS. — *q. d.* Qui sapienter loquitur, magnopere metuat, ne eloquio ejus unitas rumpatur: nam, ut ait Beda, «habere sal sine pace, non virtutis est donum, sed damnationis argumentum: quo enim melius quisque sapit, eo deterius delinquit;» sunt enim multi, ait Glossa, «quos dum major scientia erigit, ab aliorum societate disjungit; et quo plus sapient, eo plus a concordia virtute desipiunt.» Ets. Gregorius, lib. I. *epist.* 24: «Per sal, inquit, sapientia designatur. Qui igitur loqui sapienter nititur, magnopere metuat, ne ejus eloquio audientium unitas confundatur.»

Denique Glossa sic exponit: «Habete in vobis sal,» id est discretionem; «et pacem habete inter vos,» *q. d.* Per sapientiam et discretionem pax inter homines acquiritur, et pariter conservatur: prudens enim et discretus nil facit quod alios offendat, et pacem turbet. Idem aliorum infirmitates dissimulat et tolerat, ob quas alii impatientes irascuntur, rixantur et pugnant, quia nihil in mundo amat nisi Deum, unde ad cætera videtur insensibilis, et quasi insensibilis.

Audi Climacum, *Gradu* 30: «Firmamentum quidem pro ornatu habet stellas; animi vero tranquillitas, virtutes. Ego enim *ἀστέρας*, sive tranquillitatem animi, nihil aliud esse existimo, quam mentis in corde cælum, quod omnes improbas demonum artes deinceps pro ludo et ludibrio habet.» Addit deinde eandem esse «palatium supremi regis, ac corporis quasi mortalem quandam immortalitatem.»

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Christus tollit libellum repudiî, sancitque primam matrimonii insolubilitatem. Secundo, vers. 43, parvulos ad se advocat et benedicit. Tertio, vers. 47, adolescenti diviti salutis avido suadet divitiis abdicatis se pauperem sequi; abicit ille tristis: unde Christus docet divites difficile salvari. Quarto, Petrus autem asserens se cum sociis opes abdicasse ut Christum sequeretur, ac præmium poscens, accipit a Christo promissionem centupli, et vite æternæ. Quarto, vers. 32, ait se ascendere Hierosolymam ad crucem et mortem, ac Jacobo et Joanni primas in regno ejus petentibus calicem passionis propinat, ipsosque et cæteros fugere ambitionem, et sectari humilitatem docet. Denique, vers. 46, Bartimeo cæco visum restituit.

1. Et inde exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem; et conveniunt iterum turbæ ad eum, et sicut consueverat, iterum docebat illos. 2. Et accedentes Pharisei interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere, tentantes eum. 3. At ille respondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses? 4. Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudiî scribere, et dimittere. 5. Quibus respondens Jesus, ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud. 6. Ab initio autem creaturæ, masculum et feminam fecit eos Deus. 7. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit ad uxorem suam: 8. et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. 9. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. 10. Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. 11. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. 12. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur. 13. Et offerrebant illi parvulos ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. 14. Quos cum videret Jesus, indigne tulit, et ait illis: Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei. 15. Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. 16. Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos. 17. Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam? 18. Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus,

nisi unus Deus. 19. Præcepta nosti: Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum et matrem. 20. At ille respondens, ait illi: Magister, hæc omnia observavi a juventute mea. 21. Jesus autem intritus eum, dilexit eum, et dixit ei: Unum tibi deest: vade, quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo; et veni, sequere me. 22. Qui contristatus in verbo, abiit morens: erat enim habens possessiones. 23. Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis: Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! 24. Discipuli autem obstupescerunt in verbis ejus. At Jesus rursus respondens ait illis: Filioi, quam difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire! 25. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. 26. Qui magis adiarabatur, dicentes ad semetipsos: Et quis potest salvus fieri? 27. Et intuens illos Jesus, ait: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum: omnia enim possibilia sunt apud Deum. 28. Et cepit ei Petrus dicere: Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. 29. Respondens Jesus, ait: Amen dico vobis: nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, et propter Evangelium, 30. qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam. 31. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi. 32. Erant autem in via ascendentes Hierosolymam; et præcedebat illos Jesus, et stupebant, et sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, cepit illis dicere quæ essent ei eventura. 33. Quia ecce ascendimus Hierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, et Scribis, et senioribus, et damnabitur eum morte, et tradent eum gentibus: 34. et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum; et tertia die resurget. 35. Et accedunt ad eum Jacobus et Joannes, filii Zebedæi, dicentes: Magister, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis. 36. At ille dicit eis: Quid vultis ut faciam vobis? 37. Et dixerunt: Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam, sedeamus in gloria tua. 38. Jesus autem ait eis: Nesitis quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? 39. At illi dixerunt ei: Possumus. Jesus autem ait eis: Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis, et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini: 40. sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. 41. Et audientes decem ceperunt indignari de Jacobo et Joanne. 42. Jesus autem vocans eos, ait illis: Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis; et principes eorum potestatem habent ipsorum. 43. Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister; 44. et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. 45. Nam et Filii hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis. 46. Et veniunt Jeriche, et pronesciente eo de Jericho, et discipulis ejus, et plurima multitudinæ, *scilicet Timæi*, Bartimeus cæcus sedebat juxta viam mendicans. 47. Qui cum audisset quia Jesus Nazareus est, cepit clamare et dicere: Jesu, fili David, miserere mei. 48. Et comminabantur ei nulli ut taceret. At ille multo magis clamabat: Fili David, miserere mei. 49. Et stans Jesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum, dicentes ei: Animaquior esto: surge, vocat te. 50. Qui projecto vestimento suo exiliens, venit ad eum. 51. Et respondens Jesus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni, ut videam. 52. Jesus autem ait illi: Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur eum in via.

21. JESUS AUTEM INTUITUS EUM (vultu suavi, benigno ostendit, v. g. manum ejus apprehendens, illi in et blando), DILEXIT EUM. — Puta signa dilectionis illi nuens et aridens, illum amplexans et exoculans

